

non est libera euentatio, multò diutius retinent  
absconditum impressumque virus pestiferum,  
quàm quæ sunt in aprico & libero aere.

*De coërcendis his, qui in funestis  
adibus fuerunt.*

C A P. V I I.



E illis autem, qui cum mor-  
tuis versati sunt, quid sta-  
tuendum sit, etsi antè quòq;  
mentionem aliquam feceri-  
mus, tamen hîc iterum & ar-  
ticulatiùs aliquid dicendum  
est. Nam vt hi liberè vbique  
vagentur, aut publica commercia apertis mox  
post elata funera domibus suis exerceant, mini-  
mè quidem consultum videtur. Vel ergo neces-  
sariò affuerunt, vt domestici, qui ægrotantibus  
ministrârunt, & medici, chirurgi, Ecclesiastæ,  
qui remedia corpori animæq; adhibuerunt, &  
denique alij, qui mortuos extulerunt: Vel non  
necessariò affuerunt, vt illi qui obiter fortè se-  
mel atque iterum visendi causa, non assiduè ac-  
cesserunt. Hi si diligentiam aliquam in lustran-  
do corpore vestibûsque adhibeant, quatuorde-  
cim dierum spacio tantùm contineri intra pri-  
uatos parietes satis erit, si modò nihil deterius  
est

est consecutum. Illis autem qui medici chirurgique officio sunt functi, toto pestilentiae tempore abs reliquorum hominum consortio abstinendum esse, iam ante constitutum est. Domestici verò, & qui assidue cum ægro vnus in ædibus versati sunt, longiori tempore ad purificandū opus habent. Quod si autem animus sit his exeundi potestatem facere, nihilominus ad euitationem cōtagij à publicis fanis, & à reliquis cœtibus omnibus prohiberi debent, nisi palam bacillum aut virgulam candidam luis pestilentialis indicia secum ferant, & nihilominus studiosè innoxiam turbam declinent. Quod si aliqui id facere detrectabunt, se uero conseruatorum edicto coercebuntur, ne spacio sex integrarum septimanarum ausint ex ædibus suis egredi. Multò adhuc seuerius coerceri debent, qui ipsi quoque lue illa affecti fuere, quantumuis modò ut cunque sanati sint. Nam in eiusmodi mundificatione vel bimestre spacium requiritur. Seuerissimè autem omnium illi, qui in præsentiarum morbum ipsum adhuc habent: De quibus expiandis quid statui debeat, quoniam adhuc cum morte illis est luctandum, tradi non potest. Et si enim plerunque infirmiores sunt, quam ut exire domo queant, contingit tamen nonnunquã, ut inducias concedat morbus aliquot dierum, cum virus tam citò ad principalia membra non potest procedere neque vitæ arcem occupare, impeditum vel corporis densitate, vel viscerum  
natio

natiuo robore, vel ipsius mali minore imbecilliorēue qualitate. Hi tum solent se libenter immiscere cœtibus hominum, ducti vel errore quodam simplici, quod existiment, si alijs possint malum suum affricare, se ita fore liberandos. Ita enim nouit cacodæmon ille nocendi artifex falsa credulitate homines imbuere, & rotulam (vt loquitur vulgus) versare, promissa vana spe salutis: vel eum scelere coniuncto, id est, maximū & crudele flagitium committendi animo, nempe, vt secum quàm plurimos alios inficiant interficiantque. Adeò enim sunt plerique pestilenti animo, vt pestilentiam corporis longè superent. Qui non est vtcunque in mundo versatus, neque πολλῶν ἀνθρώπων ἰδεῖν ἄσφα καὶ νόον ἔγνω, meis verbis vix adhibebit fidem: At reuera asserere possum, his oculis me vidisse, qui, cùm hoc affectu iam extuberanti, vt dubitare non possent, laborarent, templo se ingererent, & clam panem Domini simul cum alijs sumerent, atque ex eodem calice vinum Domini biberent: Horresco referens, etsi tunc nullis ea res damnosa fuerit: Haud dubiè sic procurante Domino, qui liberat nos ab omni malo. Quis autem credat huiusmodi non potius cacodæmones esse (loquor cum M. Luthero) quam homines? aut certè homines pestilentissimos, quibus vel ipsa pestis mitior sit? Quemadmodum autem clandestinificarij, modò his, modò illis pugionem in viscera condunt, quòd nescitur cui debeat imputari, ita

ita hi terrefunestissimi homicidæ & rabiosi canes,  
 hic puerum, illic virum aut fœminam intoxi-  
 cant. Et cum pro viribus omnia funeltarunt,  
 nulli nisi diuinæ voluntati delictum suum tri-  
 buendum garrunt. Ac rident gaudentque in fi-  
 nu, quasi re bene gesta, cum aliorum calamita-  
 tes, quarum ipsi causæ sunt, audiunt. O crude-  
 lissimum veneficium: quod nulla ratione impu-  
 nitum manere debeat, immò æquali, aut maio-  
 ri etiam pœna dignum sit, quàm vulgarium  
 grassatorum latrocinia. Cardanus narrat Casali  
 vrbe Salassia contigisse anno 1536. Vt quidam  
 coniurarint (homines videlicet 40, viri & fœ-  
 minæ, vnà cum carnifice) vnguentum se confe-  
 cturos, quo inungerent portarum vectes, vt qui  
 eos contrectarent, inficerentur: Pulverem quo-  
 que adornarent, qui vestibus hominum clan-  
 culum inspersus exitium illis crearet: (sæuierat  
 autem eo loci paulò antè pestis, & modò remi-  
 serat) sed coniuratione deprehensa omnes ex-  
 quisitissimis tormentis enecati sunt. Fassi etiam  
 fuerant, decreuisse se in celebri pompa cuiusdã  
 Diui, subsellijs perunctis vniuersos ciues occi-  
 dere, paratâsque ad hunc usum supra viginti ol-  
 las fuisse. Tentârunt idem Geneuæ quoque ali-  
 quando, dederuntque pœnas. An verò horum  
 factum nefandius est, quam eorum, de quibus  
 nos agimus? Quis crederet autem in homines  
 Christi baptisinate tinctos, & regno Dei destina-  
 tos tantum scelus posse cadere? Quis non malit  
 inter

*De Variet.  
 ve. 15. cap. 8*

inter belluas, quàm cum huiusmodi appellatione hominum planè indignis vna in ciuitate viuere? Quamobrem strenuos vindices tantæ enormitatis conseruatores nostros esse decet, vt propter communem societatis salutem impunes non sinant abire tales clancularios hostes, & nefarios proditores, exemplo præclarissimarum rerum publicarum, de quibus facta est mentio.

Cæterum hi qui pestilentia laborârunt, ac modò vtcunque restituti sunt, alios etiam vtrò monere deberent, vt ipsorum consuetudinem vitent. Cùm enim illis in angustia ista constitutis humaniter subuentum sit, iam releuatis vicissim cogitandum, ne alios in eandem angustiam conijciant: quod esset hominum extreme ingratitudinis. Si ipse Deus (ait Lutherus) in veteri testamento præcepit, vt leprosi segregarentur à populi conuictu extra oppidum, ad vitandum contagium, neque reciperentur nisi mundi essent iudicati, multò magis, nos in hoc periculoso contagio idem imitari decet: neque hîc refractarios esse licet, &c. plura enim in hac sententiâ Christianè ab eodem dicta supra recitauimus.

In quibus, vt ingenuè loquar, quamuis maximè placeat consilium separationis, tamen in caussa, qua periculum in contagio leproso positum esse putatur (nisi hoc fortè aliquando contigerit ob contemptum præcepti diuini: seuerè enim admodum consuetudine eorum fuerat interdictum) non approbari hanc sententiam ab omni-

bus

*Lepra Vet.  
testam.*

*De ciuit.  
Dei.*

*Amat. Lu  
sitanos.*

bus existimo. In cuius rei mentionem quoniam iterum incidi, ac crebro aliis meminisse, paucis repetere non grauabor. Principio enim veteris testamenti lepram fuisse morbum, actiones naturæ lædentem, aut vlllo humano consilio remedio curabilem, haud constat: Quin D. Augustini opinione, defædatio potius erat, non illa quidem vulgaris, sed singulariter à Deo immissa, quam morbus corporis, & (vt ipse loquitur) magis coloris & cutis vitium, quam valetudinis aut integritatis sensuum atq; membrorum. Quam obrem quoque mundandi verbo sæpius, quam medendi vitur Scriptura, cum de curatione huius mali loquitur: Et rectè, meo quidem iudicio medici quidam celebres nostram lepram, quæ ἐλεφαντίασις Græcis dicitur, ab illa Hebræorum, quæ Saharath ab ipsis appellatur, & de qua in Leuitico ac apud Euangelistas fit mentio, distinguunt. Hæc enim (aiunt) morbus non est ex ijs, qui ob errorem in sex rebus non naturalibus contingere solent, cum reuera affectio quædam sit ex ira Dei producta, quæ pro ratione peccati non hominum duntaxat corporibus accidere solet, sed etiam vestimentis atq; ædium parietibus, in quibus præuaricatores illi habitabant: pro magnitudine (inquam) delicti. Si enim peccatum exiguum erat, in muris domorum macula quædam parua extuberabant: Sin grauius, vestibus adhærebant: Quod si verò grauisimum fuerat peccatum, tunc peccantis corpus iisdem defæda-

defcedabatur. Atque huius lepræ suspecti, qua-  
 tuordecim dierum spacio à summo sacerdote  
 iudicabantur, vtrum excludendi essent è socie-  
 tate hominum, nec ne. Neque enim ad eam cu-  
 randam vllis humanis præfidijs, sed diuina so-  
 lum manu opus erat. Quæ omnia (vt plura alia)  
 iam esse desierunt. De nostra verò elephantia *ἐλεφαντία*  
 lepra, quæ *δὲς διὰ πασῶν* ab illa differt, hoc ex me *σις.*  
 dicorum libris atque ipsa illius natura constat,  
 morbum esse viscerum humorumque vitio or-  
 tum, sæuum admodum, & velut totius corporis  
 cancrū: qui olim (testantibus historijs) Aegypto  
 peculiaris fuit: in Italia verò ante Põpeij magni  
 ætatem non visus. Quid? quod adhuc apud Ita-  
 los longè rarior sit, quàm in nostra Germania, *Anton. Be.*  
 aut vicina Belgia, aut Francia: quod his quidem *niven. de*  
 ob incocta cibaria, illis verò propter constitui- *abd. morb.*  
 onem aeris accidere nonnulli scriptitant: quàm *caus. cap.*  
 verè, ipsi viderint, qui se tam faciles arbitros cõ- *98.*  
 stituunt in causis & controuersijs grauioribus.  
 Galenus enim in Germania rarò, in Alexandria *Lib 2. ad*  
 frequenter videri putat, fortè ad sua respiciens *Glauco.*  
 secula: Ego cum Amato Lusitano peruersæ ra-  
 tioni victus malim ascribere. Promiscuè enim  
 ac nullo delectu aut ordine vescuntur piscibus,  
 leguminibus, fructibus horarijs, lacte ac lactici-  
 nijs. Describitur autem à Plinio in hunc modū, *Nat. hist.*  
 vt dicatur à facie plerunq; incipere, in nare pri- *26. cap. 1.*  
 mùm, velut lenticula, mox inualecente perto-  
 tum corpus, maculosa, varijs coloribus & inæ-

*Gal. 11.  
facult.  
med. simpl.*

*Lib. 7. cap.  
16.  
Lib. 6. cap.  
3.*

quali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura ceu scabie aspera, ad postremum verò ingrauescente & ad ossa carnes opprimente, intumescens digitis in pedibus manibúsque. Hæc est Plinij definitio. Curationis autem ratio à Galeno illa potissimùm laudatur, quæ usu carnis Viperinæ perficitur: quam & ego in Italia sæpenumerò ab excellentissimis medicis commendari audiui, & dextrè exhiberi vidi. Verùm hæc huius loci non sunt. Illud autem ex his constat, magnum discrimen esse inter elephantiasin, hoc est, hodiernâ lepram, & illam, quæ in veteri testamento peculiaris pœna erat peccantium, tum quod ad ipsarum naturam attinet, tum quod ad curandi methodum: Quod obseruauit quoque Leonhardus Fuchsius in suis Paradoxis: sed nõ itidem Franciscus Valleriola in enarrationibus suis medicinalibus.

Sed instat aliquis: vtrancq; tamen contagiosam esse oportet, cùm ambo abs hominum consortio segregentur, qui illis sunt infecti. Respondeo. Quid si non eadem causa separationis sit vtrobique? Fortè enim ob id apud antiquos fuere se iuncti à reliquis, quod foeditas & sordities quædam esset, quam Deus in suo populo ferre non voluit: quippe quem tam corporis, quàm animi munditie oportuit pollere: Vel quod illi qui hisce maculis defœdati erant, aliquid ferrent pœnæ: videlicet vt tum ipsi aliorum conuictu cogerentur abstinere, tum horum vicissim alij: quæ

quæ res quorundam iudicio imago fuit nostræ hodiernæ excommunicationis, quam vulgò bannitionem quasi abannitionem, id est, anni absentiam vocant. Nostri autem Elephantici ob id ex hominum cœtu remouentur, quia morbum habent tum grauem, tum contagiosum: Quanquam, vt dicam quod sentio, contagium non tam vehemens esse existimem, quam plerique putant. Quin potius, meo iudicio, contagiosior est affectus, quem nostro tempore galli-

cum, propter originem, aut propagationem appellant, & Iohan. Manard. non rectè, mea sententia, de genere Elephantiasis iudicat esse: etsi non perinde sequus sit, præsertim hodie, cum illius vis paulatim remissior fiat, vt sperandum fit, tandem prorsus disitutum, vt mentagræ, cuius Plinius meminit, ne vestigia quidem apparent hodie. Quod autem Elephanticam lepram attinet, crebrò studiosè percunctatus sum ab illis, qui hac laborabant, sed rarò cognoscere potui ipsorum consuetudine quenquam infectum esse, etsi non rarò sani cum ipsis versentur, imò (quod magis mirum est) etsi cum sanis mulieribus ægri consuescant viri, & sanos gignant interdum liberos. Quod incredibile fuerit, si tanta esset contagij vis, vt à plerisque æstimatur. Quæ cum ita sint, & nihilominus magna cura propter quaecumq; consuetudinis periculum, aut saltem periculi suspicionem, ex aliorum societate amouentur. Rursus dico, quod dixi iam

Gordon.

part. 1. cap.

22.

Epist. lib. 7.

Epist. 2. Iacob. Syl. in

prefatio.

Isag. anat.

Lib. nat.

hist. 26.

cap. 1.

cap. 1.

Leonhard.

Zacchin. 9.

in Rhaz.

cap. de

phthis.